

1403 nia accersito demandant. Ferunt ad triginta peditum equitumque millia stipendio conscripta. Sed Caroli accessus spe omnium tardior fuit: at sic quoque ubi Venetias venit, ingenti læticia acceptus, publica signa in Aurea æde recepit. Mox vero in hostem moturus, Mestram profectus est, quo Venetæ copiæ ad certum diem convenerant. Fuisse in castris illis viri plerique illustres, qui clara ad eam diem magnæque fecerant stipendia. His viribus ille usus fecit subitas aliquas in Patavinos expeditiones, sed eas ipsas, nulla re memorabili gestas, parum omnino celebres. Inde medio ardore belli se imperio abdicavit: abdicationis causam eorum, quos vidimus, nemo tradidit.

Dum hæc in continenti ora geruntur, res in aquis nihilo fœlicius mota est. Marcus Grimanus classis, quam in tyrannum Patres studio comparaverant, præfectus, quum aliquandiu in stagnis, quæ hostium finibus adjacent, vim lemborum circumegisset ingentem, aliquotque præsidia expugnasset, subito hostium incurfu ad Helori fanum cum magna navigiorum parte, quæ harpagonibus illi in terram traxere, oppressus est, traditusque Saccensibus in custodiam. Veneti, abrogato Malatestæ imperio, circumspicere cœperunt, quem tantarum copiarum Imperatorem potissimum legerent: demum ex omni illustrium virorum numero, qui permagnus (ut dixi) tum in castris fuit, Paulus Sabellus, Romani sanguinis homo, ob multa armorum decora dignus judicatus est, cui totius rei summa crederetur. Hujus ductu loca quædam brevi sunt ex hoste capta: eratque jam res Veneta novo imperio aliquanto melior. Verum tyranni ferocia nec sic aliquo modo frangebatur. Apparuit itaque diversa ratione belli eum fatigari oportere. Novæ proinde copiæ, novaque castra prioribus illis nihilo inferiora, ad Veronam infestandam sunt decreta: Franciscum Gonzagam belli socium rei præficiunt. Ille Veronenses subita vi adortus, eorum fines populatur, prædam hominum ac pecudum præ se agit ingentem, mox villas incendit, munitiora loca, & in his Hostiliam, expugnat: nihil denique inviolatum hosti relinquit.